

dicemus? Confirmabimus quidem, & ex hoc etiam, Catonis testimonium apocryphum esse. Quum enim temporibus illis Brutii in mundo non essent, nec pariter Brutiani in urbe erant. Et si non erant, non poterant a Brutianis Decemviri flagellis cædi. Quod si ab iisdem Decemviri flagellati dicuntur, vel supposititium est Auctori non suo testimonium, vel Auctor testimonium protulit nec temporum rationi, nec populorum tempori, nec rei ipsius veritati, consentaneum. Hæc sane perpendere debebat Gellius, qui testimonium illud absque examine exscripsit: Et si Gellius, non historici partes agens, hoc omisit, nuperus Scriptor Gallus, qui Critici etiam laudem assequi conabatur, omittere nullo jure debebat.

Præter dicta, qua etiam Chronologia Gellius commentus est, a Brutianis fuisse Decemviros flagello affectos, quia hac pœna Brutii, a quibus Brutiani descendebant, ob defectionem in Hannibalis partes, a Romanis mulctati fuerant; quum Decemviratus an. U. C. CCC. exordium sumpserit, & Hannibalis exitus de Italia an. U. C. DLI. contigerit? Prius ergo Brutiani verberabant, quam Brutii verberandi ignominia notati fuerant? Vel non fuit nova pœna, qua Brutios Romani notaverunt, si ante illos Brutiani, absque eo quod hac pœna afficerentur, illustres etiam Viros verberabant. Nonne hæc ostendant, Catonis testimonium supposititium esse, & a Gellio, absque discrimine temporum, absque historiæ examine, absque veritatis criterio, inaniter quidem, ut & audaciter, usurpatum?